

quemdam ad se e Cælo delapsus finxit, sicut postea impostor *Mahumetes* Alcoranum. Ad Elcesitarum gregem Ebionitæ feruntur transisse. Placita autem illorum Hæreticorum ad Gnosticam impietatem proximè accedebant. Legis Mosaicæ ceremonias, Circumcisionem, & Sabbatum non secus ac Ebionæi observabant, sed sacrificia damnabant. Christum magnum Regem esse confitebantur, sed eum creaturam in ordinem cogebant. Spiritum Sanctum sexu sceminam, & Christi sororem esse comminiscabantur. Omnes ferme libros tam veteris, quam novi Testamenti repudiabant. Denique, simulationem in professione Religionis, faviente persecutione, licitam esse, nec prohibitum Idolorum cultum, dummodo id ex animo non fieret, impie asseverabant.

Saturniani Hæretici ita dicti a *Saturnino* genere Antiocheno, Menandri discipulo, qui a pluribus antiquis *Saturnilus* nuncupatur, impuram Simonianorum doctrinam in Syria sunt amplexi, & sequentes errores evomerunt. Primo, docebant, Mundum non a Deo, sed a septem Angelis conditum fuisse, hominemque effectum esse ad Imaginem summæ virtutis, in quem a summa illa virtute scintillam, quæ ipsum erigeret, inditam fuisse somniabant. Secundo, aiebant, hanc scintillam in solis fidelibus reperiri, atque intereunte homine, ad Deum recurrere. Tertio, Christum umbratilliter, & specie tenus, non vere incarnatum, & passum asseverabant, ipsumque in terras venisse, ut destrueret Judæorum Deum, quem unum e septem Angelis Orbis fabricatoribus esse putabant. Quarto, Nuptias, & generationem tanquam ex doctrina Dæmonis profectas execrabantur. Quinto, duo distinguebant hominum genera, unum natura bonum, aliud natura malum. Denique, multi ex Saturnini discipulis ab Animatorum esu abstinebant, ut ementita hujus abstinentiæ Religione simplicibus fucum facilius facerent, eisque hoc specioso pietatis obtentu suos instillarent errores.

Basilidianis Hæreticis nomen imposuit *Basilides* genere Alexandrinus, Saturnini condiscipulus, & Menandri auditor. Hic suæ Hæreses venena in Ægypto effudit, & ut refert S. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, gloriabatur, se habuisse Magistros Glauciam interpretem S. Petri, & S. Mathiam Apostolum. Evangelium scripsit, quod viginti quatuor libris, erroribus a capite ad calcem refertis, exposuit. Plures in Deo substantias admisit, quarum alix ex aliis manarent, & quarum postrema, quam *Sophiam* vocabant, procreasset Angelos, quos dicebat supremi Cæli esse fabricatores, qui rursus alios Angelos ediderunt, a quibus secundum Cælum factum sit. Iterum ab istis Angelis secundi Cæli conditoribus, alios Angelos productos fuisse somniabat, donec trecentessimum sexagesimum quintum Cælum conditum fuisset cum Angelis, qui hunc inferiorem Mundum fabricarunt. Unde isti Basilidiani Hæretici hoc barbaro vocabulo *ἰσχυροὶ* utebantur, eo quod istud vocabulum his literis constet, quæ juxta numeralem Græcorum notam conficiunt numerum 365. supersunt etiamnum amuleta Basilidianorum, in quibus hæc vox *ἰσχυροὶ*, & alia

barbara Angelorum nomina, quæ præcudebant, leguntur. Præterea, Basilidiani docebant, Christum veram carnem non suscepisse, & Simonem Cyrenæum ejus loco Cruci suffixum esse, mortemque pro Crucifixo non esse tolerandam. Illi, qui in eorum Sectam admitti cupiebant, quinquenniis silentio, Pythagoræorum more, probabantur, & de sua doctrina interrogati, palam negabant quid essent, quidve sentirent, Animam uniuscujusque hominis ex variis concretam esse substantiis credebant, ex quibus variis ciebantur affectus, malisque hominibus adulterinam esse naturam, puta vel leonis, vel lupi, vel simiæ, &c. prout in hoc, vel illud vitium proclives essent. Novos Prophetas ad errores suos adstruendos excogitarunt, eisque nova, & barbara nomina indiderunt, videlicet *Barcaba*, & *Barcoph*. A quavis spurcitia nihil labis contrahi jactitabant; eos tamen plurimi faciebant, qui ad servandam continentiam se ipsos abscindebant. Animarum transmigrationem ad expianda scelera Pythagorico sensu defendebant. Non omnia peccata hac in vita commissa remitti a Deo dicebant, sed dumtaxat involuntaria. *Basilides* hujus Sectæ auctor superstitem filium reliquit *Isidorum* nomine, mali Corvi, malum ovum. Sanctus Clemens Alexandrinus quædam refert fragmenta excerpta ex Operibus, quæ hic Isidorus paternæ impietatis hæres, & acerrimus propugnator edidit. Sanctus Justinus in Dialogo cum Triphone Judæo meminit Saturnianorum, & Basilidianorum, qui ea ætate adhuc vigeabant, sed temporibus sancti Epiphani, ut ipsemet testatur, paucissimi illorum erant residui.

Cerdonianorum Hæresis ortum habuit a *Cerdone* Saturnini discipulo, qui e Syria Romam venit sub *Hygino* Romano Pontifice, ubi suam Hæresim, quam tamen sapius ejuraverat, Marcioni afflavit. Hic autem *Marcion*, a quo Marcionitarum Hæresis prodiit, patria fuit Ponticus, & filius Catholici juxta ac pii Episcopi, a quo, ut scribit Sanctus Epiphanius ob incestum Ecclesia pulsus, & Populorum suorum opprobria ac ludibria non sustinens, clam ab oppido secessit, & Romam post Hygini Papæ obitum sese contulit. *Eo statim atque pervenit Marcion*, inquit Sanctus Epiphanius, *ad seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti supererant, ut in communionem admitteretur, frustra ab eis petiit. Quamobrem extimulatus invidia, quod principem illic locum, ac ne Ecclesia quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis Hæresin confugere in animum induxit.* Sanctus Polycarpus Smyrnenensis Episcopus, qui tunc Romæ aderat, obvium Marcionem habuit, cumque iste Hæresiarcha persistetæ frontis audacia ab illo fuisset suscitatus, utrum illum cognosceret? ei ex tempore respondit sanctus ille Episcopus: *Novi te ut Primogenitum Sathane.*

D. Fuit ne Hæresis Cerdonianorum diversa a Marcionitarum Hæresi?

M. Duobus illis Hæresiarchis Cerdoni, & Marcioni, hoc caput erroris fuit, duo esse Principia, idest, duos esse Deos; unum bonum, incognitum & Pa-

& Patrem Jesu Christi; & alterum malum, qui aspectabilem hunc condidit Mundum, legemque Judæis sanxit. Præterea, uterque asseverabat, Christum veram carnem non assumptisse, nec ex Maria Virgine natum, sed e Cælo descendisse, atque ab ignoto Patre in terras missum, ut Imperium, seu Tyrannidem, & opera Mundi Conditoris everteret. Ad hæc, vetus Testamentum tanquam a malo Deo profatum rejiciebant duo illi Hæresiarchæ: Evangelium vero Lucæ; tredecim Epistolas Pauli mutilabant, nec ullos præterea libros sacros agnoscebant. Denique, a nuptiis abhorrebant, ciborum delectum præcipiebant, & corporum Resurrectionem negabant. Admittebat tamen Hæreticus Marcion quamdam speciem Resurrectionis Animarum, quippe qui asseverabat, Cainum, Dathanem, & Abironem, Sodomitas, atque nationes omnes, quibus Judæorum Deus ignotus fuit, per illaplum Christi ad Inferos fuisse salvatas: Abelem vero, Enochum, Abrahamum, aliosque Patriarchas & Prophetas, quibus innotuit Judæorum Deus, salutem non fuisse consecutos. Hos & alios ejusdem furfuris errores profuderunt duo isti Hæresiarchæ, quos ceu mera delirantium somnia, & insanas lunaticorum exerrationes merito flocci facere debemus. (a)

(a) Adversus Cerdonem Concilium habitum, ab Apollonio Corinthiorum Episcopo narrat vetustus auctor libri inscripti *Prædestinatus*.

D. Marcionitarum Hæresis fuitne Discipulorum numero insignis, & diuturna?

M. Hæc Hæresis brevi temporis spatio longe lateque inflar Cancri per Orbem serpsit. Marcion siquidem suos non solum Romæ, & in Italia habuit discipulos, sed etiam in Ægypto, in Palæstina, in Syria, & in aliis Regionibus, tamque altas radices egit pestilens illa Secta, ut diu persisteret, & in alias Sectas sub initium Imperii *Commodi* pullularit, sicut testatur *Rhodon* vetustus auctor, qui in Hæretico Marcionitas calamum acuit. Tres tamen, præ cæteris, Marcion habuit discipulos, quorum primus fuit *Apelles*, qui, ut ait Tertullianus, lib. de Præscript. cap. 30. *Jam lapsus in scæmina desertor continentie Marcionensis, Alexandriam secessit, inde post annos regressus non melior, in alteram Virginem impogit, Philumenem dictam, malo genio agitatum, cujus opera futura prædicebat Apelles, sicque Populo, & incautis quibusdam imponebat.* Præcipuus Apellis error in hoc situs erat, quod diceret, Corpus Christi Domini ex Syderum substantia, & quatuor Elementorum qualitatibus constituisse, quibus tandem in ea unde accepta erant resolutis, Christum in Cælum, unde venerat, revolasse, & sine corpore ascendisse docebat. Cultum etiam, sive Religionem indifferentiam admittebat. Alter celebris Marcionis discipulus fuit quidam dictus *Syneos*, qui duobus principiis, quæ posuit Marcion, quorum unum erat bonum & alterum malum, tertium ipse adjunxit. Postremus Marcionis famosus discipulus ille est, quem S. Epiphanius *Lucianum* appellat, Tertull. vero in lib. de Resurrect. cap. 2. Origenes lib.

2. contra Celsum, & auctor Appendicis ad lib. Tertull. de Præscript. *Lucanum* nominant. Hic tria itidem agnovit rerum omnium principia, & nuptias prohibuit, quod carnem a malo principio exortam ulterius propagari non debere insulse asseveret.

D. Nihil hætenus de Hæreticis Valentinianis dixisti, quorum tamen Secta, ut audiui, maxime vixit in secundo Ecclesiæ sæculo, & cæteris aliis longe celebrior evasit.

M. Nulla profecto Hæresis fuit figmentis feracior, quam Valentiniana, ita dicta a quodam *Valentino* Ægyptio Hæresiarcha, viro quidem ingenioso & eloquente, sed vanæ gloriæ cupidissimo. Ait enim Tertullianus lib. contra Valentinianos cap. 4. eum a fide descivisse, quod alter ei in Episcopatu prælatus fuisset prærogativa martyrii. Romam venit hic Hæresiarcha sub *Hygino* Papa, ut inquit S. Irenæus lib. 3. cap. 4. *Incevit sub Pio, & prorogavit usque ad Anicetum.* Porro, cum Valentinus esset Philosophus Platonicus, multa in Hæresim suam ex impuris Gnosticorum lacunis, ex Platone, immo, ex Poetarum Græcorum, Hesiiodi præsertim fabulis convexit, unde monstrum conflagit, quod nec Christianum, nec hominem sapit. Verum enimvero, Valentinus mentem habens pastam Chymæris, finxit in primis triginta Æones, seu Deos, qui Divinitatis *πληρωμα*, seu totam plenitudinem constituebant. Secundo, Principem, idest primum triginta illorum Æonum vocabat *Βούδιν*, seu *Αβυσσιν*, vel *Profundum*, cui unam veluti conjugem adungebat, quam *Sigen*, idest, *Silentium*, vel alio nomine *ἑρρωτιαν*, seu perceptionem, appellitabat. Tertio, aiebat, quod ex duobus primis illis Æonibus, seu ex *Profundo* & ex *Silentio* ejus conjuge, producti sunt duo alii Æones, videlicet *Nus*, seu *Intellectus*, & *Alethia*, idest *Veritas*, quam dicebat esse sororem *Nus*. Hæc est prima Æonum quaternitas. Quarto, docebat, quod ille *Nus* esset unigenitus filius primi Æonis, isque solus, exclusus aliis Æonibus, posset cognoscere primum Æonem, seu *Profundum*, a quo fuerat ipse productus. Quinto, ex *Nu*, & *Alethia*, hoc est, ex *Intellectu*, & ex *Veritate*, duos alios Æones profuxisse dicebat, videlicet *Verbum*, & *Vitam*, & ex *Verbo*, & *Vita* duos alios produisse Æones, nimirum *Hominem*, & *Ecclesiam*. Hæc est altera Æonum quaternitas, quæ alteri superiori quaternitati juncta efficit Ogdoadem Valentinianam, seu numerum octo Deorum, quibus alios viginti duos Æones, seu Deos adungebat, ut tota Divinitatis plenitudo triginta Æonum, seu Deorum, numero completa, & integra subsisteret. Hinc Valentinus ex *Verbo*, & *Vita* Decadem Æonum ortam esse comminiscabatur: ex *Homine* autem, & ex Ecclesia duodecim alios Æones progenitos fuisse aiebat, & ex his triginta Æonibus. Pleroma, seu plenitudinem divinitatis conflatam esse fabulabatur. Quocirca, merito Tertullianus huic Hæresiarchæ exprobrat, quod usque ad triginta Æonum sacris examen divinitatis effudit. Sexto, Carnis Resurrectionem negabat Valentinus, triaque hominum genera consti-

tebat, *Terrenum, Animale, & Spirituale*. Terrenum ad *Cainum*, Animale ad *Abelem*, Spirituale ad *Setbum* revocabat, velut ad tres generis humani fontes. *Terrenos* homines, five bene, five male operarentur, corruptione omnino dissolvi censebat. *Animales*, si bene vixerint, in mediocri Regione conquiescere; si vero deteriora elegerint, penitus perire, atque igne extingui putabat. *Spirituales* vero homines natura sua bonos esse affirmabat, nec eos perire posse, sed Salvatoris Angelis matrimonio fore collocandos. Mundi, & Diaboli productionem tribuebat *Demijurgo*, quem ex *Enthymesi*, Hebraice *Acomob*, & ex substantia animata ortum esse sulte opinabatur. Octavo, duplicem Jesum cum Nicolaitis, & Cerintho posuit, ejusque corpus per Mariam velut per canalem, vel fistulam transisse pronuntiabat. Sed hæc, & alia id genus Valentini, ejusque Sectariorum figmenta indicasse sufficiat, quia satius est ea delirantium Hæreticorum somnia ignorare, aut silentio prætermittere, quam illa jam Nataliis suis tenebris damnata in apertam producere lucem. (a)

(a) „ Valentianam Æonum Genealogiam valde implexam mire explicat P. Rhenanus Massuet Ordinis S. Benedicti in sua editione operum S. Irenæi Parisiis producta, ac dein recusa Venetiis. Cernas ibi vere excultam arborem, in qua Bython eminet, tum ceteri Æones ordine sequuntur. Si quis vero Arborem hanc oculis non incurioso consideraverit, intelligit profecto Æonum nomine designasse Valentinum ipsa Dei attributa, quamquam in eo erravit, quod attributa ista ita inter se reipia distinxerit, ut totidem Numina esse viderentur. Insuper Trinitatem statuit, quam in tribus prioribus Æonibus effigavit; in hoc tamen pariter eum errasse demonstrat P. Massuet, quod Trinitatem suam ex tribus inter se reipia distinctis, ac diversis constituerit. Cætera ex eo repetas.

D. Cum tota Valentini Hæresis, sicut clare exposuisti, in conjugatione, seu in varia illa combinatione, & dispositione triginta Æonum, seu Deorum, præcipue consisteret, proclive erat unicuique hanc triginta Æonum combinationem pro suo arbitrio immutando, aliterque disponendo, nova, nec minus absurda procedere Systemata.

M. Recte dicis, & hinc est, quod Valentini Discipuli, præsertim *Secundus*, a quo *Secundiani*, & *Prolomeus*, a quo *Proloமை* prodierunt, in his ordinandis Æonum conjugationibus variaverint sententiis, & in diversas abierint Sectas. Verum, quamvis in hac Æonum dispositione concordēs haud essent, nec sibi constarent Valentini discipuli, omnes tamen ea admittebant principia, quæ ad exterminium Christianæ doctrinæ moralis recta collimabant. Enim vero, cum Hæretici Valentini ducerent, sicut mox observavi, homines, quos vocabant *Spirituales*, esse natura sua bonos, nec perire posse; seque in hac spiritualium hominum classe locum habere jactarent, fidenter assererebant, se

neque fide, & bonis operibus indigere, neque ulla disciplinæ munia observare, neque fidem coram tyrannis profiteri debere, & insuper, obsecrum istud statuebant corruptæ moralis principium: *degenerem esse, nec legitimum veritatis, qui diversus in Mundo non amaverit feminam, nec se ei junxerit*. Hoc nefandum principium Valentianorum doctrinæ proram, puppimque fuisse, testatur Tertullianus lib. contra Valentinum cap. 30.

D. Habuitne Valentinus multos suæ Sectæ discipulos, qui virulentam ipsius doctrinam defenderint, ac propagarint?

M. Valentinus multos habuit discipulos, qui ejus fabulas, vel amplificaverunt, vel alio modo exposuerunt. Ex ipsius siquidem schola prodierunt, ut modo dixi, *Secundus*, a quo *Secundiani*, quorum meminit S. Epiphanius Hæresi 32. & *Prolomeus*, a quo *Proloமை*, de quibus idem S. Pater agit Hæresi 33. Prodiit ex eadem Valentini schola *Marcus*, qui magicas artes edoctus, dum se sacrificium offerre simulabat, poculorum liquorum certis carminibus in cæruleum, purpureumque colorem vertebat, & philtris utebatur, ut sibi mulierum amorem conciliaret, quarum bene multas in Galliis seduxit. Hujus Marci discipuli dicti sunt *Marcosii*, qui suæ Sectæ Mysteriis initiandos baptizabant in nomine ignoti rerum universarum parentis, & veritatis omnium rerum Procreatricis, & illius, qui e Cælo in Jesum delapsus est. Denique, ex cœnoso Valentini gurgite promanarunt *Colobarsiana* Secta sic appellata a *Colobarsa*, quem alii Marci mox laudati discipulum, alii Magistrum esse putant (b). Secta *Heracleonitarum*, seu *Barborianorum*, cujus meminit Theodoretus cap. 15. lib. 1. Hæreticarum fabularum; Secta *Archonticorum* ab *Eutachio* quodam Constantii Imperatoris temporibus propagata; Secta *Bardesanis*, qui singulari eruditione, & eximia constantia in fide propaganda, ac vindicanda insignis, postquam innumera pene Opera adversus Hæreticos, qui ipsius ætate eruperunt, incubasset, maculam tandem præclaræ famæ asperxit, & fœdas, ac pudendas Valentini fabulas, quas antehac ipse erudite redarguerat, investigabili Dei judicio excepit, suoque calculo comprobavit. Filiius ejus dictus *Harmonius* sacris litteris apprime excultus erroris patris sui tuitus est, eisque novos a se excogitatos adjecit. Sed *Bardesanis*, ejusque filii *Harmonii* errores Sanctus Ephrem Syrus perdocte confutavit.

(b) „ De Colobarsiana hæresi plus aliquid narrat auctor libri inscripti *Prædestinatus*; tradit enim hominum vitam septem in stellis positam esse hæreticum illum docuisse, easque stellas esse septem ecclesias & septem candelabra aurea. Hunc hæreticum a Theodoro Pragensi Episcopo, forte in Misa mediterranea, anathematizatum in Synodo septem Episcoporum ibidem legitimus.

D. Lugendus sane est Bardesanis, viri, ut ais, de Ecclesia bene meriti, lapsus, infaustusque exitus. Sed nihil de *Tatiano* dicis, cui similem sortem obtigisse narrabant mihi nuperrime viri eruditi?

M. Eam-

M. Eamdem, proh dolor! funestam sortem expertus est *Tatianus*. Ille quippe, vivente Sancto Justino Martyre, cujus erat discipulus, in fide constans perseveravit, & egregium edidit librum adversus Gentiles, quem etiamnum modo habemus. Ast post Sancti Justini martyrium *Tatianus* sua scientia plus æquo elatus in Hæresim lapsus est, & relicta Roma errores in Pifidia, & Cilicia docuit, factus Auctor Sectæ *Encratitarum*, idest, *Continentium*, qui nuptias detestabantur, & carniū, viniq̄e usum prohibebant, indeque etiam dicti sunt *Hydroparastæ*, seu *Aquarii*, quod in mysteriis sola aqua contenti, vino penitus abstererent. Præterea, *Tatianus* Æonum quorundam invisibilium fabulam a Valentino mutuatus est. Adamum primum generis humani parentem salvatum non esse contendebat. Denique, ex quatuor Evangeliiis unum contexit, quod *Diatessaron* appellatur, hæresimque sapit, utpote in quo *Tatianus* seriem Avorum Christi Domini, & cætera, quibus eum veram carnem gessisse, & ex semine Davidis oriundum esse declaratur, de industria resecurit. *Tatianus* sectatus est *Severus*, a quo *Severiani* originem habuerunt. Ex hac etiam Encratitarum Secta prodierunt Hæretici dicti *Apostolici*, qui, præter Tatiani errores, assererebant, non licere aliquid quocumque modo possidere, ideoque etiam *Apostatici*, idest, Renunciatores fuerunt appellati, vel *Saccophori*, quod sacco induti incederent, ut sub illo specioso pietatis obtentu popularem auram fucata, & adscititia poenitentia captarent. (a)

(a) „ Num evangelium diatessaron ipsum sit Tatiani hæretici opus, dubii adhuc hæremus: quamquam enim id sensisse visi sunt veteres quidam, hoc ducti argumento, quod hoc in libro Christi genealogia resecurata sit; multa tamen in ea remanent intacta, quæ si scripta fuissent ab hæretico, & quidem sacrorum librorum corruptore, vix ac ne vix quidem relicta fuissent integra; ex quo fit, ut non immerito Pagius alique cum illo harmoniam Evangelii a Tatiano scriptam ætatem nequaquam tulisse, sed una cum ejus aliis scriptis periisse suspicentur.

D. Memini etiam me audisse, *Tertullianum*, virum omnigena litteratura præditum, & egregium Ecclesiæ defensorum, a fide Catholica descivisse, & in Hæresim impigisse, quæ, & qualis fuerit? rogo te ut me edoceas.

M. Sic est: *Tertullianus* post prostratos Appellem, Praxeam, & Hermogenem, post profligatos Judæos, Gentiles, & Gnosticos; post infidelium blasphemias multis voluminibus eversas; tandem insanis fanaticarum mulierum somniis delusus in Montani Hæresim prolapsus est. Porro, *Montanus* ortus ex vico Phrygiæ *Ardaban* dicto in hos prorupit errores. Primo, inconditis vocibus Prophetam agendo, sibi, non Apostolis, eximium Spiritus Sancti donum arrogabat. Secundo, duabus abreptiis foeminis, videlicet *Priscæ*, & *Maximille* a maritis abductis infania lux afflavit spiritum, easque Prophetif-

Graves. Hist. Tom. I.

fas haberi voluit. Tertio, nuptias solvebat, easque prohibebat, ut infames. Quarto, nunquam in persecutione fugiendum, sed loco sistendum docebat. Quinto, tres Quadragesimas observabat in anno. Sexto, Novatianis prælusit, utpote qui ad omne pene delictum fores Ecclesiæ crudeliter obserabat, sicut ait Sanctus Hieronymus Epistola 54. ubi etiam Montanistarum Hierarchiam recitat, in qua primum locum ii, quos appellabant *Patriarchas*, occuparent; secundum, *Cenones*; tertium, idest pene ultimum, Episcopi tenerent. Fertur, *Montanus*, atque *Maximillam* malo genio afflatus, sibi tandem laqueo fregisse gulam. His Montani erroribus, & insulsis mulierum nugamentis adhæsit *Tertullianus*, qui antea omnes ingenii nervos in Christianismi defensionem intendens, immensas eruditionis & eloquentiæ opes plena manu effuderat. Montani discipuli vocati sunt *Cataphryges*, & *Pepuziani*, a locis videlicet, in quibus vel emerit, vel magis viguit hæc hæresis, qua bene multi in Asia, Phrygia, Galatia, Cilicia, & Africa fuerunt infecti. In duas tamen classes divisi sunt, quorum alii *Proclum* Ducem sequebantur, alii *Æscbinum*, ut ait auctor Appendicis ad lib. *Tertulliani* de præscript. Eiusdem Montani Sectæ soboles fuerunt *Quintilliani* dicti etiam *Artotyriæ*, qui Eucharistico pani caseum admiscebant, & mulieres ad Episcopatum, & Presbyteratum evehebant. Ab eadem quoque Secta profecti sunt *Paschalorynchitæ*, seu *Ascadrogitæ*, sic appellati, quia inter orandum nari digitum infigebant. (b)

(b) „ His, quæ de Montano hic traduntur, addenda nonnulla judico; nempe secundas nuptias omnino ab illo ut veritas, & illicitas damnari. Insuper tres quadragesimas ita Montanistæ servabant, ut hæresis damnarent eos, qui huic disciplinæ sese non submitterent. Ceterum quæ hic traduntur de *Tertulliano* vera quidem sunt, verum minus castigate scripsit auctor, dum ait, illum post profligatos Judæos, Gentiles &c. tandem in hæresim Montani incidisse; constat enim illum jam Montanistam libros illos fere omnes scripsisse.

„ Accedit hisce error maximus Montanistarum de neganda venia iis, qui post Baptismum Idololatriam, homicidium, five adulterium commisissent, neque veniæ eis dandæ facultatem Ecclesiæ indultam esse contendebant.

Jam senescente secundo Ecclesiæ seculo, sedente *Victore* Romano Pontifice, *Blasus* damnatus est tanquam reus Schismatis Asianorum, & *Florinus* Romanus quondam Presbyter in Marcionitarum Hæresim lapsus est. *Blasus* siquidem, ut ait *Eusebius* lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15. & 20. Asianorum celebrandi Paschatis ritum die decima quarta mensis primi, qua Judæi Pascha peragere solent, Romæ acriter propugnavit. *Florinus* vero, instar Marcionis, duo Numina, boni scilicet & mali, admisit. Quare S. Irenæus adversus *Florinum* Epistolam scripsit de unitate *Numinis*, & aliam ad *Blasum de Schismate* direxit Epistolam, sicut testatur mox laudatus *Eusebius*.

C 3

D. Re-

D. Recensuistine omnes Hæreses, quæ exortæ sunt in secundo Ecclesiæ sæculo?

M. Superfunt adhuc Hæreses *Theodoti Coriarii*, *Artemonis*, & *Hermogenis*, a quibus breviter me expediam, ne tibi fastidium ingeram. *Theodotus* Bizantinus, arte Coriarius, Christum esse merum, ac purum hominem impie assererat. Discipulos habuit *Asclèpiadem*, *Hermopylum*, *Apollonium*, & *Theodotum Trapezitam*, qui ultimus Pseudo-Magistri sui errori addidit, *Melchisedechum* esse virtutem cælestem meliorem Christo. Hinc prodierunt *Melchisedechiani* Hæretici. Discipuli *Theodoti Coriarii* appellabantur *Theodotiani*, quibus solemne erat Canonem Scripturarum mutilare, ubi Jesu Christi Deitas enunciabatur. S. Epiphanius eos etiam nominat *Alogos*, idest, *sine verbo*, quia Evangelium S. Joannis, in quo describitur æterna Verbi Divini generatio, & Apocalypsim, seu scripta essent ab Hæresiarcha Cerintho repudiarent. In hoc *Theodoti Coriarii* erroris luto hæsit quoque *Artemon*, Christo divinitatem perinde abjudicans. Postremo, *Hermogenes* eo desipuit, ut diceret materiam esse ingentem, & Deo coæternam, sicut videre est apud Tertullianum in libro, quem contra hunc Hæreticum concinnavit. Hæreses nunc compendiosè descriptas omnes Hæreses, quæ secundo nominis Christiani sæculo, bellum Ecclesiæ indixerunt.

D. Profecto jam intelligo, Ecclesiam Christi ab omnibus portarum inferi concussionibus esse securam; quippe quæ tot inter Hæreses, & domesticorum scissuras non succubuit, sed potius Dei virtute freta, & continuo Dei protegentis auxilio munita, victrix semper extitit, semper triumphans, tot ornata palmis, quot Hæreticorum armis fuit læcessita.

M. Alios, quos de Hæreticis Ecclesia retulit, triumphos enarrare pergam, si te audire non tædeat Historiam Hæresum, quæ in tertio sæculo in ruinam, atque exterminium Ecclesiæ conspirarunt.

D. Eo libentius audiam, quod isti Hæreticorum conficius in decus immortale Ecclesiæ cedant, indeque fidei meæ firmetur credibilitas, & meus erga Matrem Ecclesiam filialis amor magis, ac magis inardescat.

M. Ut rem totam paucis conficiam, exordium duco ab illo Schismate, quod in tertio Ecclesiæ sæculo ortum est in Africa, quodque progressu temporis in apertam degeneravit Hæresim. Illius Schismatis Auctor *Felicissimus* fuit, in causa lapsorum, quos citra præmissam satisfactionem mox recipi, & contra antiquam, & receptam Ecclesiæ disciplinam præpropere venia donari debere pertendebat. Erant porro duæ lapsorum classes. Prima erat illorum, qui, sæviente Imperatoris Decii persecutione, Idolis cultum per sese exhibuerant. Altera classis erat eorum, qui *Libellatici* dicebantur, quique per se, vel per amicos fidem negaverant, & impunitatis libellos a Magistratibus obrinuerant. *Deciana* itaque deservescens, jamque sopita persecutione, non nisi post gravem, ac diurnam poenitentiam, quæ tamen Confessorum, seu eorum, qui pro fide Christi strenue decerta-

verant, precibus minuebatur, in Ecclesiam isti lapsi recipiebantur. Quam disciplinam cum abolere vellent *Felicissimus*, & *Novatus* Presbyter Carthaginensis veniam absque mora omnibus promiscue lapsis indulgentes, a Sancto Cypriano Carthaginensi Episcopo fuerunt graviter objurgati, & tantum non ab Ecclesia rescissi. Quo factum est, ut *Novatus* haud parum stomachatus, & imminente capiti suo procellam prælagiens, Romam venerit, ubi *Novatiano* Romano Ecclesiæ Diacono junctus diurnas inter Christianos turbas invexit. *Novatianus* quippe quietis impatiens, & impotenti ambitionis æstu abreptus nihil intentatum reliquit, ut *Cornelii Summi* Pontificis ordinationem tanquam illegitimam abrogaret, seque in ejus locum sufficeret. Quare magnam plebis partem mille nocendi artibus a *Cornelio* separavit, & factione sua corroboratus, in Romano Pontificem, seu porius *Antipapam* evectus est, novamque Schismati Hæresim adjunxit, negando videlicet, Ecclesiam jus & auctoritatem habere lapsis in persecutione, idest *sacrificatis*, & *libellaticis* veniam indulgenti. Quam seralem deinde sententiam *Novatianus* ad cætera alia peccata post Baptismum commissa extendit, itaut omnibus in aliquod peccatum post Baptismum prolapsis, & ad Ecclesiam lachrymis, & gemitu, & dolore pulsantibus, divinæ pietatis, & paternæ lenitatis solatia, atque subsidia crudelitate post hominum memoriam maxima denegaret. Sic istud Schisma a *Felicissimo* & *Novato* excitatum, quod a nimia facilitate veniæ lapsis concedendæ ceptum erat, tandem contra errantium vota desinit in extremum & eregione oppositum errorem, & qui antea nullum lapsum a venia arcebat, postea nulli post lapsum veniam dandam cum *Novatiano* prædicarunt. *Novatiani* discipuli dicti sunt ab illius Sectæ Auctore *Novatiano*, vel *Calbari*, seu *Mundi*, quod se solos lapsos puros existimarent, & Pharisæorum more, se a peccatoribus, quos venia omnino indignos judicabant, discernere. *Novatiani* igitur nomen suum sortiti sunt non a *Novato* Carthaginensi Presbytero, sed a *Novatiano* Ecclesiæ Romanæ Diacono. Quod sane Græcis Scripturibus non fuit satis compertum, hi siquidem *Novatum* cum *Novatiano* perperam confundunt, licet aliunde Historia Schismatis *Novatiani* accurate narretur apud *Eusebium* lib. 6. Hist. Eccles. cap. 47. ubi inseritur Epistola *Cornelii* Papæ ad *Fabium* Antiochenum.

Aliud in tertio sæculo sub *Stephano* Summo Pontifice non minus periculosum fuit Schisma Rebaptizantium, qui Hæreticos ad gremium Ecclesiæ redeuntes denuo baptizandos esse magno animorum æstu contendebant, quibus *Stephanus* Papa se tanquam murum æneum opposuit. Sed de hoc Rebaptizantium Schismate, quod Ecclesiæ grave accessit negotium, commodius in proximo Colloquio agemus, in quo sermo nobis erit de Conciliis, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis ad profligandas Hæreses, & ad componenda Schismata variis in locis fuerunt celebrata.

Præter illa duo Schismata, quæ Ecclesiam in tertio sæculo haud parum exagitarunt, nonnullæ etiam

etiam obortæ sunt Hæreses, quæ illius sinum viperino dente proficiderunt. Prima est *Noetii* Ephesii, qui consensit *Praxeæ* Hæresim recoxit, ac postliminio revocavit, tres Personas Sanctissimæ Trinitatis in unam confundens, asserensque Patrem æternum esse passum pro nobis, unde illius Hæreseos fautores appellati sunt *Patripassiani*. Eandem *Praxeæ*, & *Noetii* Hæresim suo nomine, ac patrocinio celebriorem fecit *Sabellius*, qui itidem docuit, ac vehementius propugnavit, in divinis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non esse tres distinctas Personas, sed unam dumtaxat trinominem esse Personam, quæ, prout ingentia est, & creandi principium, dicitur *Pater*, prout incarnata, *Filius*, & prout sanctificans creaturas, *Spiritus Sanctus* vocatur. Alteram, nec minus execrabilem, eodem sæculo Hæresim invenit *Paulus Samosatenus*, natione Syrus, Episcopus Antiochenus, qui ausus est asserere, Christum non semper fuisse, nec ante Mariam Virginem extitisse, ac subinde, non Deum, sed putrum putumque hominem esse. Hinc prodiit *Paulianistarum* Secta, quos relicta Hæresi ad Ecclesiam revertentes iterum baptizari debere sanxit Concilium Nicænum Primum, eo quod Baptismi formam interpolarent. Præter duas illas Hæreses, quæ in tertio sæculo Ecclesiam infestaverunt, S. Epiphanius in lib. de Hæresibus mentionem facit Sectæ *Valensorum*, cujus auctor fuit *Arabs* quidam nomine *Valens*. Horum Hæreticorum non alius refertur error, quam quod sese Eunuchos facerent. Meminit etiam idem Sanctus *Pater* cujusdam *Angelicorum* Hæresis, auctore ignoto. Quinam etiam fuerit palmaris illorum error? incertum omnino est. Nec minus obscura est origo alterius, quam refert Sanctus *Epiphanius*, Hæresis *Origenistarum*, qui ex infami *Gnosticorum* cloaca egressi nuptias damnabant, obscenis voluptatibus se conspurcabant, & libris spuris, & apocryphis, quos proprio Marte proculderant, ad suos stabilendos errores utebantur. Quapropter, ejusmodi *Origenis* confundi haud debent eum *Discipulis* famosi *Origenis* *Adamantii*. Postremo, *Nepos* Ægyptiacus Episcopus impii *Cerinthi* fabulam de millenario Christi in terris Regno deliciis corporeis, & illicitis voluptatibus referto, quod post Resurrectionem iustis promissum esset, instauravit in tertio Ecclesiæ sæculo, quem *Dionysius Alexandrinus* egregie confutavit, sicut referunt *Eusebius*, & *Theodoretus*. Sed hic nostro de Hæresibus, quæ tribus primis sæculis monstrosa capita erexerunt, colloquio finem imponamus, crastina luce, bene fortunante Deo, acturi de Conciliis, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis ad jugulandas, & profligandas illas Hæreses variis in locis coacta fuerunt.

D. Hoc argumentum mihi tam gratum erit, quam quod maxime. Nam sicut in primo, quod de persecutionibus contra Ecclesiam hinc inde excitatis habuimus, colloquio, a te perlubenti animo didici, quo pacto Ecclesia in tribus primis sæculis licet in membris suis cæsa, vel in exilium relegata, vel in carcere captiva, vel fame con-

sumpta, vel flammis exusta, vel aliis id generis tormentorum immanissimorum suppliciis ubique exagitata, victrix tamen semper extitit, & tot inter imminentes ruinas florentior evasit, atque vegetior; ita maxima cum animi mei oblectatione in proximo Colloquio addiscam, quomodo Ecclesia in Conciliis congregata de prostratis Hæresibus illustria trophæa erexit.

COLLOQUIUM V.

De Conciliis, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis fuerunt celebrata.

D. UT pleniorem Conciliorum, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis fuerunt celebrata, notitiam assequi possim, haud parum juvabit paucis explicare verbis, quid, & quotuplicis generis sit Concilium? & unde Conciliorum origo profecta sit?

M. Concilium nihil aliud est, quam convocatio, seu Episcoporum cœtus ad dirimendas controversias, quæ circa fidem, & bonos mores exoriantur, vel ad faciendam disciplinam Ecclesiæ, cujus rigor, cum temporum injuria quandoque remittatur, vi Canonum, qui conduntur in Conciliis, instaurari, atque resarciri debet. Quadruplicis autem generis est Concilium, videlicet Æcumenicum, seu Generale, Nationale, Provinciale, & Diocesanicum. Concilium Æcumenicum, est convocatio totius, qua late patet, Orbis Christiani Episcoporum, quæ fit per Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos directam a Romano Pontifice, cui soli ex jure, & ex officio incumbit indicere Concilia Generalia, eisque vel per se, vel per suos Legatos præesse. Concilium Nationale est illud, quod a Patriarcha, vel a Primante cogitur, cuique omnes Primates, seu alicujus Nationis, vel Regni Episcopi interfunt. Concilium Provinciale illud est, quod unius Provinciae finibus coercetur, & convocatur ab Archiepiscopo omnes suæ Provinciae suffraganeos invitante Præsules. Postremo, Concilium Diocesanicum vocatur illud, quod ab Episcopo una cum suæ Dioceseos Parochis in rem peculiaris Ecclesiæ sibi a Deo creditæ celebratur. Porro ejusmodi Concilia non pari gaudent in Ecclesia autoritate, sed Concilia dumtaxat Generalia a Summo Pontifice legitime convocata in fidei, morumque controversiis dirimendis indeficienti pollent auctoritate, ut in confesso est apud omnes Catholicos, qui constanter profitentur, sacra Concilia suam habere originem a Christo Domino, qui suam assistentiam sacris Ecclesiæ Conciliis promissit, dicens *Matth. c. 18. v. 10. ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Hinc Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati, in eo, quod pro cessatione *legalium* ediderunt, decreto, auctoritatem sibi Spiritus Sancti asciscunt his verbis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, Actuum Apost. cap. 15.

D. Quando nam Concilia in Ecclesia celebrari cœperunt?

M. In primo Ecclesiæ sæculo Concilia in Ecclesia